

Petrus de Vinea

*Ep. III 17 (Mirati satis et
moti quodammodo fuimus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 17 (Mirati satis et
moti quodammodo fuimus...)*

1246

Capitano regni Syciliae, ut firmus existat in fide, abiciendo omnem rancorem, si aliqua friuola fuerunt relata.

1. Mirati satis et moti quodammodo fuimus, unde potuerunt uerba illa deformia, conscientiam tuam lesura, procedere, et tuae mentis stabilis sic subito turbare quietem. 2. Sed gauisi multo magis fuimus, quod fidei tuae probata sinceritas ad uerba tam friuola flecti non potuit; sed quo magis huiusmodi uerba sentis inania, eo plus in nostris seruitiis tua firma stat et fixa constantia, quam fidelitas incorrupta coadiuuat, et pro qua laudabilium operum experimenta perorant et constantiae nostrae puritas, testis uidelicet extraneo quolibet delatore sollempnior, interpellat. 3. Nam, quae posset aut deberet dici de nobis, aut inesse tibi, dubietas, cum, preter affectionis occultae presagia, quae uideri non possunt ad oculum, sentis saltem ab experto fiduciam, dum negotia nostra tibi secure committimus, et tamquam alteri parti nostri corporis, fiducialiter inheremus? 4. Omnes igitur, si quae tibi rancoris preterea forte remanserunt, expelle reliquias et, dubietatis cuiuslibet abstersa caligine uel rubigine, de immutabilis mentis nostrae stabilitate confidas, ut, sicut erga nos tuae fidei mutare constantiam te non posse confidimus, sic erga te gratiae nostrae fauorem posse non dubites uariari.